

pectoris sensu video; quo solo disertos reddi homines, etiam Quintiliano auctore nouimus: et si intellexeritis, sentiri a me veram beneficii vestri magnitudinem, spero, a vobis praecipui eo certius animis posse, me partibus muneris, deo quidem fauente, satisfacturum, me rectoris Scholastici personam, nisi optime, bene tamen, acturum, esse: quod sane auctorum beneficii auribus ingenuis et humanis non potest non esse acroama vnum omnium longe suauissimum et dulcissimum, certe aequae gratum et iucundum, atque auribus Themistoclis vox eius, a quo virtus Viri optime praedicabatur. Sed quum ipsi sciatis, Auditores, eam esse nunc memoriae meae leuitatem, eam neglegentiam, vt tuto ei recteque committi nihil potuerit: non aegre feretis, me ea, quae dicturus sum, de scripto dicere; praesertim quum etiam Senatores Romani reperiantur saepe sententias de scripto, non semper memoriter, dixisse.

Iis enim beneficiis praecipuam quandam et singularem magnitudinem, grauissimum maximeque ingens pondus, iudicant fatenturque omnes inesse, quae proficiantur, non ab vnius humanitate, sed ab beniuolentia plurium: quae dentur, non inuite et temere, sed consilio et sponte: quae tribuantur, non multis, verum paucis: quae profint, non tantum iis, quibus impertita sunt, verum aliis quam plurimis; non hoc, vel illo, tempore, verum semper: quae orrent, non tantum viuos, verum etiam mortuos. Hae vero sunt, Auditores, hae sunt ipsae notae, haec sunt ipsa quasi insignia, eius beneficii, quo ego me auctum esse affectumque tantopere gaudeo.

Non commemorabo sapientiam et prudentiam, nihil dicam de aequitate et iustitia, non attingam libera-

bera-